



PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# Communicationes

VOL. XLIII • N. 1

2011

## II

**Ad sextum canonum schema  
de procedura administrativa animadversiones Consultorum**

**ANIMADVERSIONES CONSULTORIS AEMILII EID**

Circa sextum canonum Schema de Procedura Administrativa a Relatore paratum post Consultorum sessiones dierum 5-7 Februarii 1973, nonnullae animadversiones proponi possunt, quae sequuntur:

*Can. 3*

Conferentia episcopalis potest suis legibus, praeter ea quae in aliis huius legis canonibus ei *tribuuntur* (vel *competunt*) (loco *permittuntur*), normas, *ad liceitatem, nisi aliter caveatur, servandas*, quae praescriptis etc...

*Rationes:*

1. Proponitur verbum «*tribuuntur*» vel «*competunt*», loco verbi «*permittuntur*»,
  - a) ratione *convenientiae*, ut vitetur sensus auctoritativus et paternalisticus legis;
  - b) ratione *iuridica*, nam facultates Conferentiae episcopali lege concessae, iam eidem «*tribuuntur*» (vel «*competunt*») quae verba praeterea habent hanc canonicam significationem competentiae iam constitutae.
2. Proponitur additio: «*Ad liceitatem etc...*», perspicuitatis causa, et ad vitandas confusiones in legibus applicandis.

*Can. 4*

Episcopus potest suis legibus normas dare, *ad liceitatem, nisi aliter caveatur, servandas*, quae praescriptis etc...

*Ratio additionis* eadem est ac supra in can. 3.

*Can. 5 § 2*

Quod si agatur de decreto..., vitatis *iudicio ac dispositione competentis superioris* inutilibus moris; etc...

*Ratio additionis* est, ut inutiles morae efficaciter vitentur.

*Can. 7 § 3*

Conferentia episcopalis potest statuere..., in quibus motiva exprimere superfluum *vel damnum sit*, possint sine motivis expressis ferri, etc...

Ratio additionis obvia est.

Romae die 30 mensis maii 1973

ANIMADVERSIONES CONSULTORIS ROBERTI T. KENNEDY

Mihi placaret suggestionem minorem offerre de canone tricesimo-septimo in schemate canonum sexto de procedura administrativa.

Mihi videtur substantiam huius canonis omnino bonam esse; sed, in mea opinione, ambo paragraphi huius canonis ad *potestates* tribunalis administrativi referunt potius quam ad *rationem procedendi* apud tribunalia administrativa. Quapropter, praesens canon tricesimo-septimo statim post canonem vigesimum-quintum poni debet (in sectione IV-3 «de recursu ad tribunal administrativum»), ita ut congruentia sit cum canone vigesimo-secondo (in sectione IV-2 «de recursu hierarchico»).

Supra illas quae iam protuli in Commissionis nostrae sessionibus, non habeo alias animadversiones. Mihi bene placet exitus nostrae Commissionis laboris, et gratias tibi ago pro honore in labore tam insigni partem habendi.

Novi Eboraci, die 25 mensis maii 1973

ANIMADVERSIONES CONSULTORIS ADAMI J. MAIDA

I have reviewed the latest draft concerning an Administrative Procedure in the Church. I find that it has faithfully reflected the observations made at our recent commission meeting. As it now stands, I feel it represents a great step forward in the legal life of the Church. I trust that others in the Church will come to a similar conclusion as the legislation is promulgated and implemented.

I salute and congratulate Your Eminence on the manner and way in which, under your enlightened leadership, this document has come into existence. In my opinion, it is an historic moment. The teachings of Our Church have spoken eloquently about the dignity of man and the inalienable rights

with which he is endowed. In addition to the judicial processes which protect and promote these rights, we now have an Administrative Procedure which further protects and promotes the rights of everyone in the Church.

Pittsburgi, die 25 mensis maii 1973

#### **ANIMADVERSIONES CONSULTORIS ARCHANGELI RANAUDO**

Signor Cardinale, con riferimento alla venerata Sua del 14 Aprile scorso n. 3167/73 relativa al sesto schema di canoni sulla procedura amministrativa, mi reco a dovere di significare a Vostra Eminenza che non avrei nulla d'importante da osservare.

Una sola segnalazione marginale: al can. 25 § 1 sarà forse il caso di citare, oltre il can. 21 § 1, anche il can. 24 § 1. Ciò allo scopo di comprendere anche la illegittimità trattata e decisa dai tribunali amministrativi e non solo quella deliberata dalla Autorità gerarchica.

Romae, die 7 mensis maii 1973

#### **ANIMADVERSIONES CONSULTORIS CAROLI LEFEBVRE**

##### **I. *Quoad reformationes structurales***

1. Plenissime approbandas esse censeo mutationes inductas in praesentationem totius schematis cum additionibus nonnullis.
2. Idem aestimandum est de additionibus in cann. 32-36 et 38 confectis.
3. Censeo tamen ad has mutationes structurales perficiendas :
  - cann. 28 et 29 inserendos esse post can. 13;
  - can. 30 § 1 addendum esse can. 19 § 1;
  - can. 30 § 2 addendum esse can. 19 in quadam § 4, cum de eadem materia agatur;
    - can. 37 § 1 inserendum esse post can. 25 cum parallelus locus inveniatur sub n. 2;
    - can. 37 § 2 addendum esse can. 25 in quadam § 4 cum de eadem omnino materia ibidem tractetur.

II. *Quoad singulos canones*

Ad can. 1 § 2, suppressio peracta optima appetet, cum sit nimis generalis.

Ad can. 4, non adeo appetet curnam Episcopi potestas adeo limitetur.

Ad can. 5 § 1, censeo intra parentheses referenda esse verba (vel recurrenti et etiam legitime recurrenti), cum ista verba haud sese referant stricte ad decretum ipsum *ferendum*, quod est objectum strictum ipsius canonis.

Ad can. 7 § 3, addenda videntur: «... firma tamen obligatione motiva *saltem in secreto documento expressa* significandi superiori...».

Ad can. 9 § 1, ut statuatur hierarchia uniformis tribunalium administrativorum primi et secundi gradus apud Conferentias episcopales, propono addendum esse «...nisi Conferentia episcopal isstud tribunal eligat ut videat etiam in primo gradu de recursibus adversus decreta ab Episcopis lata».

Ad can. 10 § 1, addatur loco «salvis praescriptis cann. 9 et 26» decernendum esse: «...nisi Episcopi quidam proprium tribunal erexerint, quo in casu uni ex istis tribuitur competentia modo relata».

Ad can. 11, dicatur non «potest», sed «debet».

Ad can. 13 § 1, post verbum «sacerdotes» addantur «saltem periti in iure».

Ad can. 13 § 2, idem statuatur post verbum «laici».

Ad can. 15 § 2, tollatur ultima phrasis «etiam autem...», quae superflua appetet.

Ad can. 18 § 2, censeo terminos computandos esse «ex die quo petitio ad *delegantem* pervenit», quia termini statuuntur in favorem petentis.

Ad can. 19 § 1, addatur «idem statuatur pro recursu ad tribunal administrativum» (cfr can. 30 § 1).

Ad can. 19 § 4, novus resumat can. 30 § 2.

Ad can. 26 § 1, tollatur ultima phrasis, cum ex can. 10 § 1 proposito semper adsit tribunal administrativum de praedicta materia.

Ad can. 27 § 1, tollantur «si adsit; si eiusmodi...», virtute can. 11 propositi.

Ad cann. 28 et 29, uti superius dictum est, hi canones transferantur post can. 13.

Ad can. 30 § 1, iste addatur can. 19 § 1, uti superius notatum est.

Ad can. 30 § 2, iste addatur can. 19 in quadam § 4, uti superius notatur.

Ad can. 32 a), tollatur verbum «sententia».

Ad can. 34, tollatur verbum «partes», et dicatur «partium testes...» propter periculum assistentiae partium ipsarum testificationi, nisi melius sit referre: «... nisi lex particularis vel tribunal...».

Ad can. 35 § 1, addatur «...notario tamen referente summarie saltem omnium dicta».

Ad can. 37 § 1, collocetur post can. 25, uti superius relatum est.

Ad can. 37 § 2, collocatur antea in quodam can. 25 § 4, uti iam denotatum.

Romae, die 26 mensis maii 1973

**ANIMADVERSIO ALTERA CONSULTORIS CAROLI LEFEBVRE**

*DE VERBIS «GENERALIA IURIS AEQUITATISVE CANONICAE PRINCIPIA»  
IN SCHEMA DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA INSERENDIS*

In can. 17 § 1 in Sessione mensis februarii proxime elapsi suppressa sunt illa verba.

Dictum est in favorem istius suppressionis haec verba esse nimis generalia et ideo ansam praebere impugnationibus superfluis.

Notandum tamen est, in iure administrativo gallico saltem, evolutionem saecularem admisisse ad decretorum impugnationem «les principes généraux du droit» sicut et «le droit jurisprudentiel» (cfr M. WALINE, *Traité élémentaire de droit administratif*, Paris, 1946, pp. 123 s.; G. VEDEL, *Droit administratif*, Paris, 1958, pp. 148 ss., et praesertim B. JEANNEAU, *Les principes généraux du droit dans la jurisprudence administrative*, Poitiers, 1954)

Iamvero haec principia, si liceat exempla afferre, sese referunt ad iuris principia uti «les droits de la défense, l'égalité des citoyens et des groupements devant les services publics, l'égalité devant la loi, la continuité des services publics» et alia similia (cfr G. VEDEL, o.c.l.c., p. 150), quae evidenter, etsi non necessario exprimantur in lege, referunt nihilominus elementa generalia, quae nonnisi implicite verificantur in ipsa lege: agitur enim de principiis quae omni iuri positivo sunt communia.

Nec obiiciatur vocem «aequitatis» innuere quamdam latiorem definitio nem, quae indigna sit enunciatione in ipsa lege, quasi ansam praebat nimis latae interpretationi. Etenim non agitur in casu de «aequitate» qua tali, sed de «aequitate canonica», scilicet de principiis essentialibus iuris canonici, quibus istud revera distinguitur a iure profano seu saeculari.

Exinde nulla appetat ratio cur non admittantur ista verba, eo vel magis quod, teste iure administrativo gallico, ad hanc conclusionem istud pervenit post evolutionem *mere* iurisprudentialem.

Romae, 1 mensis iunii 1973

ANIMADVERSIONES CONSULTORIS JOSEPHI M. PINTO

1) Inspecto Schemate, dicere debo: *a)* in eo ratio habita est animadversionum quae in ultima Sessione examini subiectae sunt; *b)* quaedam normae nunc clarius exponuntur; *c)* ratio procedendi apud tribunalia administrativa quoad nova introducta optima videtur; lacunae nunc impletæ.

2) Praescriptum *canonis 6 § 2*, ni fallor, applicatur etiam decreto quo recursus aduersus aliud decretum deciditur. Quapropter intra terminum maximum trium mensium omnes recursus solvendi sunt. Iam vero recursus pertractatio longa aut brevis erit, prout causae instructio exigat. Aliquando etiam annus sufficiens non erit. Nec remedium lege particulari afferri valet (§ 3), quae ad ea quae plerumque accidunt subvenire valebit. Facultas autem in can. 39 § 2 concessa hic applicari non potest, nam non agitur de celeritati consulendo.

Nonne expediret ut in casu de quo in can. 6 § 2, quum tribunal vel superior praevideat causae instructionem finem haud habituram esse intra tempus opportunum ad decretum ferendum intra mensem, gaudeat facultate terminum longiore statuendi, quod nisi fecerit praescriptum de recursu implicite reiecto applicetur?

3) *Canon 7 § 3*. Si Conferentiae episcopali hoc conceditur, cur lex universalis iam non id statuit? At quia accidere potest quod auctor decreti superfluum aestimet motiva exprimere dum interesse habens contrarium censeat, forsitan expediatur ut huic concedatur facultas motiva in hoc casu petendi.

4) *Canon 13 § 1*. Fortasse clarius appareret si prius datur norma generalis et deinde exceptio, hoc modo: « neque possunt iudices esse qui ad eam dioecesis pertineant, in qua decretum latum est, nisi in tribunalibus dioecesanis de quibus in can. 9 ».

5) *Canon 14*. Ad adeundum tribunal administrativum requiruntur motiva legitima. Cur? Ubinam haec motiva determinantur?

6) *Canon 25 § 1*. Ni fallor, hic lapsus calami invenitur et loco « can. 21 § 1 » ad quem remittitur, inscribendus est « can. 24 § 1 ». Nam ita erat in praecedenti Schemate. Et in allegato « can. 21 § 1 » sermo est de recursu hierarchical.

7) *Canon 25 § 3*. Ut in praecedenti Sessione exposuit norma haec haud videtur congruere cum recentissima doctrina (DUGUIT, BONNARD, HAURIOU, LEO BLUM, CHARLES ROUSSEAU) circa sic dictam responsabilitatem administrativam. Nam haec haud afficit superiorem vel Organum administrativum sed patrimonium huic servitio destinatum.

8) *Canon 34.* Haud facile invenientur testes qui coram parte adversa veritatem dicere audeant, et etiam quum pars quae testem induxit adest valde in ipsum influere potest. Novum Schema can. 1771 CIC, (nunc can. 1777) aliter statuit.

9) *Canon 38 § 1.* Querela nullitatis non conceditur, et, ni fallor, occurere potest. V. gr. in casu defectus iurisdictionis, denegationis completiae iuris defensionis, etc. In iure administrativo Statuum admittitur.

Casus verificari possunt in quibus res iudicata sit manifeste iniusta ob evidenter neglectum legis praescriptum quod non sit mere procedurale. Cur tunc contra iniustitiam nullum remedium suppetit? (can. 1905).

10) *Canon 38 § 2.* Quoad decisiones interlocutorias tantummodo remedium affertur si partem e iudicio excludunt. Si aliud gravamen causatur, sententia definitiva haud reparabile, nullum remedium existit?

11) *Canon 39 § 2.* Quaenam sunt normae processuales statutae ad validitatem relate ad quas tribunal derogare non valet? Praeter can. 35 § 2, quae in CIC inveniuntur?

Romae, die 29 mensis maii 1973

#### ANIMADVERSIONES CONSULTORIS PAULI WESEMANN

##### *Ad can. 1 § 1*

Noviter inserta sunt verba «qui in ecclesiastici regiminis exercitio». Quid dicit «regimen» in hoc contextu? In Schemate Legis Fundamentalis (25.7.1970) in Capite II distinguuntur Ecclesiae munera docendi, sanctificandi et regendi. Quaestio est, num verbum «regimen Ecclesiae» in sensu huius tripartitionis intelligi debeat. Mihi videtur ex ambitu administrationis Ecclesiae nonnulla decreta non posse excludi, quae in modo loquendi Schematis LEF ad munus Ecclesiae docendi vel sanctificandi pertinent (v.g. cann. 61 et 62 Schematis LEF et alii). Quare verbum «regimen» in nostro Schemate difficultates gignere debet, si in LEF dicta tripartitio munerum Ecclesiae manet.

Altera ex parte verba iam in praecedenti Schemate adhibita «omnes administrativos actus» mihi pro circumscriptione ambitus rerum, de quibus in «Procedura administrativa» agitur, satis clara et sufficientia esse videntur.

Propono: verba «in ecclesiastici regiminis exercitio» delenda sunt.

*Ad can. 3 a)*

Dubium ortum est, num verbis in hoc canone adhibitis «ratio procedendi... in recursibus... examinandis et iudicandis» includuntur etiam normae particulares de admissione recursuum, quae est quaestio praeparatoria examinis et iudicii. Meo iudicio actus praeparatorii uti admissio debent includi in facultate in hoc canone data. Nescio, num textus in hoc sensu sit satis clarus.

*Ad can. 3 b)*

Similibus ex rationibus textus «qualitatibus et incompatibilitatibus» erit complendus verbis «nominatione et cessatione a munere». Nullo alio loco normae de his rebus datae sunt.

*Ad can. 7 § 3*

Verbum «superfluum» mihi non placet. «Superflua non nocent» est regula iuris. Hoc in loco autem dici debet nominationem motivorum esse nocivam, sive pro persona gravata, sive pro Ecclesia.

Nullam autem difficultatem video in retinendo textu priore: «si gravissima ratio obstet», quia hic textus ex una parte est strictus («gravissima ratio»), ex altera parte est apertus quoad varia motiva.

*Ad can. 8 § 1*

a) In primis verbis huius canonis quaestio magni ponderis continetur: «Decretum statim vim habet».

Quaestio moveri licet, utrum haec regula in iure administrativo Ecclesiae necessaria vel saltem apta sit.

Certo haec regula necessaria non est: sufficiens erit licentia administrationi data singulis in casibus decreto clausulam immediatae exsecutio adiungere, si ex rationibus bonae communis immediata exsecutio decreti requiritur. Ceteris in casibus – et eorum numerus est multo maior! – sufficit, si decretum administrationis vim suam post aliquod tempus utile ad obiectiones a parte subditi vel ad remedium iuris proponendum (v.g. 14 dies) capiat.

Suprano minata regula nobis non apta esse videtur ad finem recursus tam hierarchici quam iudicarii (ad tribunal administrativum) assequendum, nempe ad tuenda iura subiectiva subditorum. Nam si omne decretum statim haberet vim suam et statim exequi possit, tuitio iuris subditi valde difficilior erit. Nam difficilior erit factum iam positum auferre quam iussionem decreti

mutare, quod nondum exsecutum est. Si regula, ut omne decretum vim suam statim habeat, manet, compluribus in casibus actori practice remanet solummodo actio ad damna reparanda.

Dubium adesse non potest quin regula proposita «decretum statim vim habet» in compluribus territoriis mundi, ubi in iure administrativo civili contraria regula in usu est, omnino insufficiens declarabitur. V.g. in iure administrativo Germaniae regula valet, omnia decreta administrationum vim habere post tempus utile unius mensis ad oppositionem gravati vel ad remedium iuris proponendum, nisi in aliquo casu administratio expresse declarat decretum statim exequi posse. Experientia in nonnullis decenniis hausta docet hanc regulam nullam difficultatem gignere pro laboribus administrativis et iura singulorum meliore quam possibili modo tuta esse.

*b)* De suspensione exsecutionis decreti lite pendente compluribus in locis Schematis cautum est. Dictae normae inter se bene cohaerent. Nihilominus applicatio normarum facilius evaserit, si dictae normae de exsecutione et de suspensione exsecutionis modo generali in unum canonem coadunarentur, uti infra proponitur. Hoc in casu variis in locis Schematis regulae de suspensione exsecutionis omitti possunt, nempe:

- can. 8 § 1 «statim vim habet»
- can. 16 § 1 pars secunda
- can. 17 § 2 a verbo «dummmodo» usque ad finem
- can. 19 §§ 1-4
- can. 21 § 3
- can. 30 § 1-2
- can. 32 b.

Hisce ex rationibus mihi liceat has formulas proponere:

- Can. 8 § 1 initium habeat, uti sequitur:

«Decretum ei, ad quem destinatur, ad normam ... est notificandum vel aliter scripto intimandum; ...».

- Novus canon de exsecutione et de suspensione exsecutionis, proponitur:

«Can. X § 1. Decretum exequi potest, si tempus utile ad remedium iuris interponendum elapsum est vel si is, ad quem decretum destinatur, exsecutioni consentiat. Remedio iuris interposito exsecutio decreti suspenditur.

§ 2. Auctor decreti potest iubere, ut decretum contra normam § 1 statim exsequatur, si exsecutio ad detrimentum salutis animarum vitandum necessaria sit.

§ 3. Auctor decreti exsecutionem ad normam § 2 iussam suspendere potest, si is, ad quem decretum destinatur, id scripto petat. Petitione ad normam can. 16 § 1 proposita suspensio exsecutionis eo ipso petita intelligitur.

§ 4. Recursu contra decretum proposito is, qui de recursu videre debet, quolibet litis tempore, si recurrens id petat et gravis causa suadeat, auditio saltem decreti auctore, decernere potest, utrum exsecutio iuxta normam § 2 iussa sit confirmando an suspendenda».

*Ad can. 9 § 1*

Episcopis etiam liceat erectio Tribunalis administrativi interdioecesani, quod regionale non est (cfr *Normae pro Tribunalibus interdioecesanis, vel regionalibus aut interregionalibus*, 28 decembris 1970, *AAS* 63 [1971], 480-486, Art. 2 §§ 2 et 3). Tribunal huius generis subiecta est Episcopis quorum interest, non autem Conferentiae episcopali. Quare proponitur complementum canonis 9 § 1:

«Unusquisque Episcopus in sua dioecesi vel complures Episcopi unanimi consensu pro dioecesibus suis unum Tribunal administrativum constituere possunt, cuius sit...».

Alia quaestio maioris momenti, sed facile solvenda, est constitutio Officii vel Consilii stabilis ad solutionem pacificam litis quaerendam, de qua conceptione Conferentiae episcopalnis Germaniae in suis litteris mense Januarii 1973 amplius tractavit.

Grati sumus, quod Relator ac Praeses ac Sodales Commissionis hoc optatum bene acceperunt, quod can. 15 § 2 (et 3) novi Schematis testificatur.

Tamen remanet aliqua quaestio, meo iudicio facile melius solvenda. In nostro Schemate normae de his Officiis vel Consiliis insertae sunt in textum prioris canonis 9 §§ 1 et 2. Dictus can. 9 prioris Schematis autem bene redactus et perspicuus erat, quod nunc amplius eodem modo non esse videtur.

Praeterea alia ratio: can. 15 novi Schematis inter normas communes pro recursu hierarchico et pro recursu ad Tribunal administrativum invenitur. «Institutum mediationis» a Conferentia episcopalni Germaniae propositum solummodo ad viam iudicariam spectat, i.e. tamquam porta ad Tribunal administrativum. In recursu hierarchico ex natura sua tam multae possibilitates ad solutiones pacificas quaerendas continentur, ut novum institutum superfluum esse videtur. In via iudicaria econtra regulariter decisio «contentiosa» datur. Maxima cura Ecclesiae debet esse decisiones contentiosas inter membra sua evitare etiam institutionibus specialibus mediationis, ita ut decisio contentiosa in Tribunali sit tantummodo ultima ratio ad tuendam iustitiam.

Quia haec instituta mediationis a Conferentia episcopali Germaniae proposita sunt pro via ad Tribunal administrativum, non autem pro recursu hierachico, mea propositio est sequens:

- Canon 15 novi Schematis reducatur ad pristinam formam (can. 9 prioris Schematis);
- Canoni 9 § 1 novi Schematis adiungatur textus «Episcopus potest etiam quoddam officium vel commissionem stabilem erigere, cui munus sit solutiones iustas et aequas litium quaerere et sugerere, antequam Tribunal administrativum opus suum inchoet».
- In Canone 9 § 2 novi Schematis textus adimpletur sequenti modo: «Conferentia episcopalis potest statuere, ut in omnibus dioecesis tribunal necnon officium vel commissio, de quibus in § 1, ab Episcopo constituatur».

*Ad can. 10 § 1*

In can. 10 § 1 comparatus cum can. 26 § 1 aliqua difficultas adesse videtur.

Ultima pars can. 26 § 1 dicit, recursum contra decretum latum ab auctoritate sub Episcopo admitti solummodo ad Episcopum, si Tribunal administrativum dioecesanum ad normam can. 9 desit. Decisio Episcopi de recursu impugnari potest vel via hierachica (quod omnino clarum est) vel coram Tribunal administrativo, de quo in can. 10 § 1. Decisiones Episcopi de recursu hierachico sunt autem decreta «ab Episcopo extra iudicium lata» (v. can. 10 § 1), et decreta «ab inferioribus extra iudicium lata», quae coram Tribunal ad normam can. 10 § 1 impugnanda sint, hisce in casibus – uti mihi saltem videtur – existere non possunt.

Ut haec difficultas solvatur, mutationem textus in fine can. 26 § 1 propono, uti sequitur:

«(Can. 26 § 1:) Adversus decreta ... recurri potest vel ad Episcopum vel ad tribunal administrativum primi gradus».

Reliqua verba deleantur (Tribunal primi gradus potest esse in ipsa dioecesi iuxta can. 9 vel apud Conferentiam episcopalem iuxta can. 10).

*Ad can. 13 § 1*

- a) Norma hic praescripta fortasse pro nonnullis territoriis Ecclesiae adhuc necessaria esse potest (uti in nostra Sessione dictum est de Italia). Pro sacerdotibus, qui in ceteris territoriis mundi servitum in Tribunalibus Ecclesiae praestant (etiam per eorum Episcopos!) est vera offendio.

*b)* Res bene componi potest novo canone 3 b, ubi Conferentiis episcopilibus (recte!) competentia data est circumscribendi «incompatibilitates»; exclusio sacerdotis propriae dioecesis a munere iudicis nihil aliud est quam creatio novae formae «incompatibilitatis».

Quare denuo (instanter, instantius!) peto, ut dicta formula omittatur.

(De hac re fusius tractavi in novo opere *Diaconia et Jus*, Miscellanea in honorem Prof. Flatten, pp. 168-170).

*Ad can. 15 § 2*

Quoad verba «vel a coetu cui praesit Episcopus».

A longo tempore, praesertim autem post Concilium Vaticanum II in omnibus dioecesibus multi coetus existunt, quibus Episcopus praesidet.

Si agitur de coetu, qui habet solummodo votum consultivum (uti est fere in omnibus casibus), decreta, emanata sunt materialiter et formaliter decreta Episcopi. In his casibus ergo sufficiunt verba can. 13 § 3 «adversus decretum ab Episcopo latum».

Si agitur de coetu in Ecclesia cum voto decisivo, cui Episcopus praeest, sed solummodo unum votum habet uti cetera membra coetus, decretum a coetu potest esse decisum secundum votum Episcopi, sed etiam contra. Non video, cur hisce in casibus decretum, quod est decretum coetus, non decretum Episcopi, privilegium esse debeat p[ro]a decretis ceterarum auctoritatum in Ecclesia, v.g. Vicarii generalis.

Hisce ex rationibus mihi, videtur verba «vel a coetu cui praesit Episcopus» esse omittenda.

*Ad can. 15*

Cfr annotationes ad can. 9 § 1.

*Ad can. 16 § 1*

Cfr annotationes ad can. 8 § 1.

*Ad can. 16 § 5*

Obligatio recurrentis, in can. 16 § 1 nominata, primo «a decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto» ad petendum vere utilis esse videtur. Quare mihi videtur exceptiones in § 3 a et b recensitas partim saltem omitti posse.

§ 3 *a*: verba «vel ad tribunal administrativum dioecesanum ad normam can. 26» omittenda sunt.

§ 3 *b*: verba «nisi decisio data sit ab Episcopo» omittenda sunt.

*Ad can. 17 § 2*

Cfr annotationes ad can. 8 § 1.

*Ad can. 19 §§ 1-4*

Cfr annotationes ad can. 8 § 1.

*Ad can. 21 § 3*

Cfr annotationes ad can. 8 § 1.

*Ad can. 24 § 1*

Textus huius canonis sine dubio maximum momentum habet in condenda via tribunalium administrativorum. Quare mihi liceat nonnullas difficultates movere.

Omissio verborum prioris Schematis (can. 17 § 1) «vel generalia iuris aequitatis canonicae principia non esse servata» inutiles declarari possunt, quia ex iure naturali sunt fundamentum omnis iustitiae et iurisdictionis. (Quoad momentum «aequitatis» in iure ac iurisprudentia Ecclesiae vide: MÖRSDORF, *Kirchenrecht*, tom. I, 11<sup>a</sup> editio, pp. 113-115). His verbis omissis remanent solummodo normae («error iuris in decernendo», «violata lex in procedendo», «motiva falsa»), quae sapiunt s.d. «positivismum iuridicum», quod invenitur in scientia iuridica civili ac certat contra conceptum iuris naturalis.

Praeterea remanent quaestiones: quomodo concipitur «error iuris»? Quod est de «errore facti»? Quantum valent probatae regulae iuris uti «audiatur et altera pars», nisi in aliqua lege expresse contineantur?

Timeo, ne hodierna forma can. 24 sit nimis restricta ac viam praebens legalismo, qui a mente paterna Ecclesiae alienus est.

Ergo propono, ut can. 24 § 1 compleatur saltem verbis «vel decretum alio modo ius offendere».

*Ad can. 25 § 1*

Adest error typographicus: citatus can. 21 § 1 debet esse can. 24 § 1.

*Ad can. 26 § 1*

Cfr annotationes ad can. 10 § 1.

*Ad can. 26 § 2*

Omittatur verbum «dioecesanum» ex rationibus apud supranoiminatum can. 10 § 1 dictis. Potest dici «tribunal administrativum primi gradus».

*Ad can. 29*

Quid est sensus verbi «intervenire»? Idem uti «interesse» (cfr can. 1582 § 1 CIC, can. 1587 § 1 CIC)? Certo praesentia promotoris in omnibus audientiis Tribunalis necessaria non est. Inde sufficiens esse videtur: «de sessionibus in causa informari debet et intervenire potest».

*Ad can. 30 §§ 1-2*

Cfr annotationes ad can. 8 § 1.

*Ad can. 31*

De iuribus in examinando et iudicando recursu eorum, «quos illud decretum directe attingit» in novo textu canonis nihil dictum est. Nonne melius esset, textum novi canonis completere verbis ex priore Schemate sumptis «... in iudicium vocandi et eadem iura habent quae pars converta»?

*Ad can. 32 b*

Cfr annotationes ad can. 8 § 1.

*Ad can. 34*

Quoad partem «testium autem depositionibus partes eorumque patrones adesse possunt...» propono textum aliquo modo mutatum: «...colligantur probationes; in collectione probationum [non solummodo in testium depositionibus!] partes eorumque patroni adesse possunt; tribunal propter graves rationes aliter statuere potest, si praesentia partium periculum pro veritate invenienda secumfert».

*Ad can. 36 § 2*

Datur terminus ad decisionem differendam usque ad « alterum vel tertium diem ». Terminus adeo restrictus difficultates gignere potest pro elaborando iudicio. Quare propono verba « infra hebdomadam ».

*Ad can. 38 § 1 c*

Cur non citatur etiam n. 4 canonis 1905 § 2 (De iniustitia non constat, nisi « legis praescriptum evidenter neglectum fuerit »)?

Monaci, die 30 mensis maii 1973

ANIMADVERSIONES CONSULTORUM HENRICI STRAUB ET PAULI WIRTH

Litteris Eminentiae Vestrae diei 14 aprilis 1973, Prot. N. 3167/73, acceptis animadversiones nostras circa sextum canonum schema de procedura administrativa, uti sequitur, obsequientissime transmittimus, quas extensa consultatione cum Rev.mis Professoribus Nicolao Mörsdorf et Audomaro Scheuermann habita exaravimus.

*Can. 1*

Actus administrativi tantum impugnari possunt, in quantum iura subiectiva petentis vel actoris laeduntur. Propterea ii casus excipiendi sunt, quibus talia iura subiectiva in discrimen non vocantur.

Relate ad can. cit. sequitur, ut contra actus, qui in forma gratiosa dantur, v. g. dispensationes et licentiae, in systemate procedurae administrativae minime recurri possit. Is qui se gravatum putat incipiente recursu demonstrare debet ius suum subiectivum per decretum administrativum esse laesum.

Solummodo is decretum petere vel ad decretum ferendum agere potest, qui ius ad decretum ferendum habet.

In genere postulari debet, ut omnes actus administrativi, qui impugnari possunt, clarissime definiantur et circumscribantur ad abusus ex parte hominum dyscolorum excludendos.

*Can. 3*

Ratione unitatis in ordine iuridico pro tota Ecclesia Latina valde expositandum est, quod Conferentiis episcopalibus nationalibus non competit

normas particulares sine praevia confirmatione ex parte Sanctae Sedi edere. Maximi enim momenti nobis esse videtur instantias appellationis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal diversissimis normis particularibus toto ex orbe non gravari. Ex eo sequitur, ut Conferentiae episcopales normas particulares Sanctae Sedi tantum proponere possint.

*Can. 7 §§. 2-3*

Nobis videtur non esse Conferentiae episcopalis statuere, ut quaedam decreta sine motivis expressis ferri possint. Econtra haec materia ad ipsas normas huius legis universalis pertinet praesertim ratione tutelae iurium, ad quam Superior quoque Ecclesiasticus ius habet, et ratione unitatis iuris in Ecclesia. Saltem collatio officiorum, beneficiorum et dignitatum titulorumque a tali obligatione supra dicta eximenda est.

*Can. 8 § 1*

Textus huius canonis restringi debet ad casus, in quibus ius subiectivum ad decretum obtainendum adest.

*Can. 9*

Ratione structurae hierarchiae in Ecclesia catholica antiquitus servatae nobis omnino necessarium esse videtur, quod omne decretum, in quantum non ab ipso Ordinario loci latum sit, semper per recursum administrativum in campo dioecesano impugnari debeat, i. e. contra decretum Superioris infra Ordinarium loci latum omnes administrativa viae recurrendi adhibendae sunt. Ordinarius loci de recursu uti supra via administrativa videre debet. Decisio autem Ordinarii loci de recursu ab eo, qui gravatum se contendit, aut via de qua in can. 1601 CIC aut via iudicali coram tribunali administrativo impugnari potest. Enimvero ad independentiam personalem iudicum servandam stricte exigendum est, ne tribunal, cui loci Ordinarius ad normam can. 1572 § 1 CIC praeest, de decretis ab eodem Ordinario latis decidat. Ex hoc sequitur, ut solummodo tribunal regionale a Conferentia episcopali statutum, minime autem tribunal dioecesanum, via administrativa-iudiciaria sententiam in prima instantia ferre possit. Laici autem iudices esse nequeunt, si «de recursu adversus decretum ab Episcopo vel a coetu cui praesit Episcopus latum» (can. 13 § 2) iudicandum est.

Ex ulteriore ratione tribunalia administrativa dioecesana opportuna non sunt: experientia apud tribunalia administrativa per nonnulla decennia in

ecclesiis protestanticis in Germania existentia docet, quod causae singulis annis tractandae rarissimae sunt; similia autem pro nostra Ecclesia exspectanda erunt.

*Can. 10 § 1*

Ex supra dictis logice consequitur, ut verba «vel ab inferioribus auctoritatibus» delenda sint. De cetero generaliter animadvertisimus in toto Schemate loco verbi «Episcopus» verba «Ordinarius loci» ponenda esse.

*Can. 15*

Distinquendum est:

a) Aequa solutio ante recursum formalem interponendum inter Superiorum et eum, qui se per decretum gravatum putat, appetenda est, ut lites et iurgia evitentur.

b) Officium vel consilium dioecesanum stabiliter constitutum ex natura rei figuram iuridicam de qua in cann. 1929 ss. CIC habere debet. Compromissum in arbitros numquam confundi potest cum ipso tribunalis administrativo neque functionem quasi primiae instantiae tribunalis habere debet. Compromissum in iis tantum casibus locum habet, in quibus partes libere ad controversias dirimendas consentire possunt.

*Can. 21 § 1*

Loco verborum «propter quodlibet iustum motivum» ponenda sunt verba «propter quodlibet legitimum interesse».

*Can. 26*

Normae cann. 26 ss. de recursibus adversus decreta eorum, qui Episcopo subsunt, accommodari debent systemati a nobis supra proposito.

*Can. 28 § 2*

Quia tribunal primae instantiae secundum nostram propositionem semper regionale statuendum est, unicus iudex de decreto ab Ordinario loci lato decidere nequit. Ergo tribunal omni in casu collegiale esse debet.

*Can. 36 § 3*

Nostra opinione integer sententiae textus partibus intra triginta dies notificandum est.

*Can. 37*

Systematice post can. 25 ponatur.

*Can. 39 § 2*

In nostro tempore antiuridismi periculosum nobis videtur derogationem normarum processualium generaliter tribunal permittere. Rationes: *a)* omissione normarum essentialium processum ad chimaeram deformare posset et quidem in damnum boni communis Ecclesiae; *b)* in doctrina omnino non satis clarum est, quaenam normae ad validitatem statutae sint.

Bainbergae, die 30 mensis maii 1973  
Augustae Vindel., die 30 mensis maii 1973